

XI. Samuelis Christiani Hollmani, *Logic.* &
Metaph. in nova' Gottingensi Academia,
P. P. O. de Duplicaturæ fibrarum, in foliis
quibuscunque conspicuæ Usu, aliisque buc per-
tinentibus, Conjecturæ.

QUUM illa, quæ de *duplici* in foliis quibuscunque minimarum fibrillarum *reticulo*, facile a se invicem separabili, & a natura ipsa distincto, in superioribus annotata sunt, extra controversiam, & dubitationem omnem, videantur esse posita, atque oculari demonstratione confirmari facile cuivis possint; operæ jam videtur esse pretium, paucis hic exponere, *Quisnam verus hujus duplicaturæ videatur esse usus.* Non putamus vero, quenquam, in rerum naturam contemplationibus vel mediocriter versatum, adeo temere in plantarum anatome fore hospitem, ut ignoret, plerasque in plantis occurrentes fibras ligneas, hisque analogas, *tubulos*, & *canaliculos*, quamplurimos minimos efficere, quibus succus nutritius, inde ab extremis radicum fibrillis, ad remotissimas quascunque partes, vehitur, atque a principio suo movente, quodcumque tandem illud quoque sit, propellitur quasi, protruditurque. Neque qui hæc noverit, etiani temere ignorabit, *fibrillas* illas minimas, quibus *caulis*, vel *pediolus*, foliorum constat, canaliculorum illorum minimorum elongationem, & continuationem quandam, solum esse, & peculiarem quendam eorundem *fasciculum* quasi constituere, quibus succus nutritius ad partes folii reliquas transmititur, per easdemque distribuitur; quiique per varias divaricationes, & quasi ramifications, per universum folii

folii planum postea *explicantur*, atque a se mutuo magis magisque recedunt, variis tamen *anastomosis* multis in locis, sibi mirifice iterum simul *inosculantur*, sicque inter se *cōhærens* quoddam fibrillarum, & tubulorum minimorum *reticulum* constituent. Hoc enim omne in foliis quibuscunque etiam non excarnatis, si luci copiosiori obvertantur, etiam nudo oculo, vel mediocri microscopio observari a quovis facile potest. Neque illud tandem quoque quenquam, rerum naturalium vel mediocriter saltē peritum, latere posse existimamus, quod jam proxime elapsō seculo multi viri celeberrimi in eam ingressi sint sententiam, quod succus nutritius in *plantis* non alia, quam in *animantibus*, ratione, hoc est, *per circulum*, moveatur; quodque coram ipsis *Societatibus Regiis*, LONDINENSI & PARISIENSI, varia maximam huic sententiæ veri speciem conciliantia, tentamina & experimenta jam olim, recentiusque, instituta sint. Hæc omnia ergo, quando de usu duplicaturæ in foliis, eorumque minimis quibuscumque fibrillis, dicere jam instituimus, tanquam aliunde satis cognita, & fere jam pervulgata, hic merito supponimus.

Facile vero jam, his præstructis, videri cuiquam poterat, non posse temere luculentius quoddam, quo illa in dubium a multis adhuc revocata, *succi nutritii* in *plantis* *circulatio* confirmari, & extra controversiam omnem ponи facilius possit, inveniri argumentum, quam *hanc ipsam reticulorum* in foliis quibusvis *duplicaturam*. Quodsi *singulæ* enim istius reticuli *fibræ* totidem *tubuli* sunt, quibus succus nutritius in folium ipsum ascendit, & per illud distribuitur, de quo nemo fere dubitat, atque horum tubu-

lorum talis jam duplicatura per demonstrata datur, ut *ne minimus* quidem sit, qui non *comitem* suum, exactissime sibi respondentem, habeat; nihil fere manifestius jam esse videtur, quam *alterum* illorum genus *arteriarum* quasi, *alterum* vero *venarum*, officio hic fungi, quippe quas eodem modo in corpore animali se perpetuo comitari mutuo, constat; adeoque & *alterum* illorum succo nutritio a radicibus ad extremos usque apices *advehendo*, *alterum* vero eidem ab extremis arborum & plantarum apicibus ad radices *revehendo*, inservire; sicque motum ejusdem *circularem*, hoc ipso diverso tubulorum genere, in plantis & vegetabilibus perfici.

Non est ille hic locus, quo disquiri jam a me vel possit, vel debeat, quid mihi illi, de succi nutritii in plantis circulatione, sententiae veri videatur subesse, vel minus, quidque in experimentis, ejus confirmandae rei causa institutis, vel dubium, vel uberiori saltem disquisitione dignum, adhuc esse videatur; de quo alio forsitan & loco, & tempore. *Ponamus* vero, extra omnem dubitationem jam esse positam illam succi nutritii in plantis & vegetabilibus circulationem; *haec* tamen tubulorum, si ita appellare licet, in foliis a me jam observata *duplicatura* huic sententiae non omnino videtur *favere*, quam maxime id etiam vellem: maiorem enim forsitan tunc apud multos hoc novo invento iniircm gratiam, quam nunc quidem. Etenim *initio* nondum satis evidens, & dubitatione omni carens, esse videtur, quod *reticuli* *cujusvis*, separati *speciati fibrillæ*, illarumque divaricationes, *integri tubuli*, totidemque tubulorum integrorum ramifications sint, siquidem in ejusmodi fibrillis, transversim dissectis, vel disruptis, nulla haec tenus tubulorum quorundam *orificia osculaque*, qualia quidem in *quo-rumvis*

rumvis lignorum fibris, transversim, seu horizonta-
 liter, dissectis, facili observare negotio licet, vel
 optimæ notæ microscopiis detegi, a me potuerunt.
 Forsan ergo, dum pars alterutrius reticuli *convexa*,
 partis alterius *concavæ* *sinu* quasi excipitur, arctissi-
 meque includitur, *tenuis* aliqua, *insensibilisque*, solum
cavitas inter utramque relinquitur, quæ transmit-
 tendo succo nutritio inservit; hocque adeo modo
 divaricationes *utriusque* reticuli inter se *conjunctæ*,
tubulorum demum officio defunguntur. Quodsi vel
 maxime vero, non obstantibus modo adductis, vel-
 lemus concedere, *singulas* *utriusque* reticuli *fibrillas*
 totidem integros, perfectosque, *tubulos*, quibus sin-
 gulis succus aliquis nutritius transmittatur, perque
 universi folii substantiam distribuatur, esse; ne sic
 tamen arbitror, confici statim exinde poterit, *alterius*
 reticuli *tubulos arteriarum*, *alterius* vero *venarum*,
 officio fungi, sicque succum nutritium in his reticu-
 lorum tubulis *per circulum* moveri. *Duo* enim in-
 primis in isthac foliorum præparatione supra jam com-
 memorata, & descripta, observavi, quæ huic sententia
 minime videntur favere. 10. Scilicet deprehendi,
 minimas *utriusque* reticuli fibrillas, in *extremo* folii
margine sitas, terminatasque, longe *facilius* a se in-
 vicem separari posse, *suaque* quasi *sponte* jam recedere,
 quam quæ *a margine* undequaque *remotiores* sunt,
 & longius ab eodem distant; et si *cuticula* utraque in
extremo margine arctissime undiquaque adhuc inter se
cohæreat; indeque & licet ab utroque folii reticulo,
 per totum ejus ambitum, sua sponte jam recesserit, *hic*
 tamen cultello adhuc *dissecanda* studiose fit, si altera
 ejusdem lamella recedere ab altera debeat: id quod
 evidentissimo videtur esse argumento, *fibrillarum*
 utri-

utriusque reticuli *extremitates* in *margine* folii *non* inter se *cohærere*, atque *arteriarum* instar in *venas* suas *recurvari*, *replicarique*, siquidem omnium arctissime alias tubuli isti subtilissimi, hoc in primis in loco, *cohærere* inter se deberent. 2º. Illud quoque annotatione dignum hic est, quod non raro mihi evenisse memini: Contigit nempe aliquoties, ut, quando altera folii, aquæ innatantis, superficies durante putrefactionis tempore ex aqua aliquantulum prominuit, *haec ipsa* superficies quoque tum *minus*, quam *altera*, sub aquam depressa, eademque undiquaque *conecta* *putrefactione* ad sceleti præparationem *apta* facta fuerit, difficiliusque & cuticulam, ipsi impositam, dimiserit, & partes viridulas, inter reticuli lacunas interpositas, elui aqua permiserit, quam in *altera* quidem ejusdem folii superficie utrumque successit. Hoc ergo quando jam evenit, microscopio aliquoties observavi, *inferius*, si putrefactionis situm, statumque, respicias, ejusmodi folii reticulum *omni*, inter ipsas ejusdem divaricationes & lacunas alias hærente, pulpa viridula *denudatum* jam conspici, hærente eadem adhuc, intimeque *infixa*, intextaque, inter *alterius*, *superioris* nempe eodem respectu, reticuli divaricationes, & lacunas: id quod quilibet, qui manum modo ipsi rei admoverit, facile ipse quoque, data occasione, observare poterit. Quum ex hoc ipso ergo evidens satis sit *ipsam* etiam *pulpam* illam subtilissimam *virescentem*, quæ utrique folii cujuscunque cuticulæ proxime subjacet, eademque separata sponte sua, maximam partem, plerumque, post debitam putrefactionem, effluit, in *duas* non minus *lamellas*, & *strata* quasi totidem *diversa* distinctam esse, quorum alterum *uni*, alterum *alteri*, folii reticulo intime, arctissimeque, intertextum quasi

quasi est ; maxime etiam videtur esse evidens, *alterum folii reticulum generandæ & nutriendæ uni*, alterum *alteri*, foliorum quorumvis *superficiei* in primis inserire, huicque usui a Creatore sapientissimo destinatum etiam potissimum esse.

Quum hac ergo ratione de Duplicaturæ istius, in foliorum quorumcunque sceletis, usū jam quodammodo constet ; *alia* nonnulla ad hoc argumentum pertinentia hic adjicere adhuc liceat, quorum primum *generationem pulpæ* istius *viridulæ*, quæ inter reticuli utriusque lacunas, in folio virescente, utrinque interjacet, in primis concernit. Constat mihi scilicet ex plurimis circa plantas & vegetabilia institutis & observationibus & experimentis, *primum*, quod ex succo nutritio in vegetabilibus procreatur, *concretum* formam quandam *vesicularēm*, & *utricularem*, semper præ se ferre ; unde & dudum *utriculorum* nomine a rerum istarum peritis scriptoribus compellatum idem est. Patet id ex *medulla* quarumcunque arborum, patet ex *cortice* earundem *viridi*, patet ex *florum*, ex terra *immediate* prognatorum plerorumque, *caulibus*, ipsisque *horum*, & ex *arboribus* protrusorum, *florum*, tum & reliquis *communibus* plantarum quarumcunque, *foliis*, in quibus vel nudo sæpius oculo utricularis, & vesicularis, illa figura conspici facile potest. Jam vero, experientia porro constat, quod, quotiescunque *liquidum* paulo *viscidius*, vel partibus quibusdam salinis & oleosis imprægnatum, per *tubulos* quosdam *angustiores*, leniori aëris agitatione & quasi suffocatione propellitur, semper illud in *vesiculas* nunc plures, nunc pauciores, in tubulorum illorum extremitatibus expandatur, id quod vel *puerorum nostrorum lusu*, aqua *sapone* saturata fieri solito, in vulgus constat.

stat. Quoniam ex anatome vero plantarum constat, partes, fibrasque, illarum solidas maximam partem *tubulos, canaliculosque*, minimos constituere, quæ inde a *radicum* fibrillis ad *extremos* usque *frondium* in plantis perfectioribus *apices* excurrunt; neque minus constat succum nutritium nulla fere *alia vi*, quam *aëris*, radicum fibrillis incumbentis & *gravitate*, & *vi elastica*, ad *frondium* apices propelli; probabile admodum est, succum nutritium, *aëris vi* per *tubulos* plantarum angustissimos, ad illorum usque extremitates *propulsum*, in *vesiculas* quasdam minimas expandi, postque partium aquearum insensibilem *transpirationem solidescere*, formamque illam *vesicularem* retinere, sicque primum illud *concretum vesiculare*, & *utriculare*, in plantis formari. Atque ex simplicissima hacce theoria omnia fere circa nutritiōnem, & incrementa, plantarum occurrentia phænomena explicari, illisque, quæ a viro solertissimo, eruditissimoque, STEPHANO HALES, in *the Vegetable Statistics*, jam observata sunt, lucem aliqualem affundi adhuc posse existimo, uti alio tempore pluribus ostendam. Hoc ergo modo viridulam quoque illam substantiam, eamque *vesicularem*, & *utricularem*, ex minimis reticuli cujusvis *tubulis*, illorumque extremitatibus, in *foliis* quasi exsudare, atque minimis illis *tubulis* adhærescere, ibidemque intra *cuticulas* sensim paulatimque magis indurari, sicque *cum tubulis* illis, ex quibus protruditur, quorumque lacunis intertextum quasi est, in *utroque folii* cujusvis *reticulo commune & continuum* quoddam *expansum* tandem efficere, admodum mihi est probabile. Quæ *causa* vero *divaricationis* tubolorum ipsorum a se invicem sit, etsi ex iisdem fundamentis intelligi jam poterat, pluribus tamen explicari jam in præsenti nequit. Quoniam *pulpa*

pulpa vero illa *viridis* longe *teneroris* adhuc, *molliorisque*, quam *ipſi* *reticulorum* *tubuli* sunt, substantia est; *facilius* quoque *putrefactione* eroditur quasi, & destruitur, dum *tubuli* *reticulorum* *ipſi* *integri* adhuc, *illeſique* a *putrefactione* ista supersunt, illaque omni ex parte denudati conspici distinctissime pos-
sunt.

Hoc ipsum vero jam *alteram* illam observationem mihi suppeditat, quæ annotatione aliqua adhuc digna esse videtur. Etenim sæpius mihi in *lapidibus figuratis*, qui *plantarum* variarum, etiam exoticarum, figuræ referunt, atque ejusmodi quoque plantas, cum omnibus suis ramificationibus expressas, sæpe exhibent, quæ adeo *teneræ*, & *subtiles*, sunt, ut nullæ, illis similes in universo naturæ regno ullibi existant, dubium mo-
vit, undenam illarum figuræ oriri in lapidibus istis potuerint. Certe in montibus, *Göttingam* nostram cingentibus, magna ejusmodi lapidum copia jam eru-
itur, & ad construenda ædificia, publica privataque, immo & ad sternendas urbis vias plateasque, adhi-
betur, quæ præter varii generis *conchyliæ petrefactæ*, tum & *stellæ marinas*, *cornua* ita dicta *Ammonis*, & ejusmodi alia, ingenti multitudine sinu ipsorum com-
prehensa, inter conchyliorum *juncturas*, immo in *ipſis* nonnunquam *conchyliis* petrefactis, adeo affabre factas *subtilissimarum arbuscularum* delineationes ex-
hibent, ut nudo oculo vix adsequi omnia liceat, me-
ritoque dubitandum sit, esse in tota natura nullum ejusmodi plantarum genus, quod subtilissimos adeo ramulos habeat. Post sceletorum vero illorum præparationem, factamque istam observationem, quod putrefactione *pulpa* illa *viridis* *facilius*, quam *ipſi reticulorum* *tubuli*, corrumpatur, dubium fere illud,

mihi subortum, jam expiravit. *Subtilissima* enim illæ in *lapidibus*, vel *corporibus* etiam *petrefactis*, delineatæ *arbusculæ* nihil jam videntur esse aliud, quam ipsa *foliorum* hujus vel illius plantæ, *post putrefactionem* illorum adhuc *residua*, *reticula*, quæ, *post reliquorum corruptionem*, figuram suam massæ isti molliori, quæ in duriorem successu temporis lapidem abiit, impressam, delineatamque reliquerunt ita, ut *ipsa* non raro in *lapideam* substantiam commutata deprehendantur. Apud me saltem hæc, ob summam reticulorum istorum, cum subtilissimis illis arbusculis, affinitatem, dubitatione omni carent: forsitan vero & aliis isthæc non omni probabilitate destitui videbuntur.

XII. *An Account of an Earthquake at Scarborough, on Dec. 29. 1737. communicated in a Letter from Maurice Johnson, Esq; jun. Secr. of the Gentlemens Society at Spalding, to C. Mortimer, M.D. Secr. R. S.*

SIR,

Spalding, Jan. 7. 1737-8.

SINCE I last did myself the Honour of writing to you, nothing, I think, worth communicating to you for the ROYAL SOCIETY, in the philosophical Way, has occurred to us here, until last Thursday, when the following Account of an Earthquake, which has very lately happened at *Scarborough*, as sent in a Letter from an Eye-witness, to a Gentleman here, was